

DISSERTATIO

DE

C O L C H I C O

AUTUMNALI.

Frid. Becken

Amico et Collegae affectuissimo

Med. Doctori

in p. d. m. post

Anche


DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PHARMACOLOGICA
DE
C O L C H I C O
AUTUMNALI,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

D O M I N I

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI

D E C A N I,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

P R O

DOCTORIS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

PIUS ISSER,

Nobilis a Gaudententhurn,

Tyrolensis Meranensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 4. Augusti 1832.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

1887

Denominatio et characteres physici.

§. 1.

Colchicum autumnale; Germ. Herbstzeitlose, Herbstblume, wilder Safran, Wiesensafran, Spinnblume, Lichtblume, Crocusbastard, perennis Europae planta, boreales solummodo terras fugiens, mensibus Septembris et Octobris occurrit, prata praecipue humiliora, depressa flore suo ornans, terramque luxuriando enervans, unde querelae societatis oeconomico-genovensis *).

§. 2.

Forma Generis: Spatha, corolla radicata, gemmae in radice; stamina sex, styli tres longissimi.

§. 3.

Forma Speciei: Bulbus oblique subrotundus, antice gibbus, vix conicus, magnitudine pomi minoris, membrana duplici vestitus, exteriori brunea, coriacea, interiori alba, splendida, teneriori; dorso profunde canaliculatus s. longitudinaliter excavatus; latere

*) Mém. de la Société à Geneve. P. 1. p. 52.

annectens bulbulum parvum, futuro anno florentem, ipsi bulbo intrusum. Parenchyma solidum, album, transversaliter sectum aequale, carnosum, succulentum. Spatha tubulosa, angularis quidquam, longitudinis plurimum policum, cavo bulbi intrusa, alba, laevis, apice ore obliquo, basi radicans; penicillo fibrarum breviusculo, includens rudimenta foliorum. Corolla nuda, monopetala. Tubus longissimus, albus, trigonus, glaber, superne dilatatus, unde corolla infundibiliformis apparet, inferne cum ovario bulbi connexus, spatha multum longior, undique striatus, erectus. Limbus violaceo-incarnatus, rarius albus, sexpartitus, laciniis ovato-oblongis, obtusiusculis, erectis. Faux sublutescens. Stamina sex, subulata, ori tubi inserta, lutescentia, limbo breviora. Antherae cylindricae, incumbentes. Styli tres, filiformes, longissimi, albi, sericeo-nitentes, inferius flexuosi, superius recti. Stigmata curva, cristata, purpurescentia, altitudinis staminum. Capsula longa, trilocularis, vere futuro super terram elata, et in nido foliorum trium, rarius plurium, planorum, lanceolatorum, erectorum quasi sedens.

Offert haec planta apparatusi medicamentorum radicem suam, semina et flores.

Proprietates chemicae.

§. 4.

Chemicas Colchici autumnalis proprietates tam diversas, imo sibi oppositas invenerunt auctores, ut non mirum esse potuit, quod alii nullos exinde effectus experirentur, et omnem ipsi virtutem medicatricem denegarent, dum alii heroicum et specificum in illo experti sunt remedium.

§. 5.

Praeprimis iudicium de sapore et odore radicis tantum differt, ut conciliari vix possunt auctores, si utrinque veraces fuerint, nisi discrimen vel quoad locum plantae natalem, vel quoad anni tempus, vel quoad naturam hominum, qui experimenta subierunt, accipias.

§. 6.

Maranta *) jam notavit, verno tempore esse amarissimam, autumnu dulcem. *Hallerus* quoque autumnalem radicem omnis saporis et acrimoniae expertem reperit. *Stoerk* **), qui sine dubio usus est vernali, ex applicata recente, leviter contusa, saporem acerrimum et linguam inde rigidam omnique sensu per aliquot horas destitutam deprehendit, anosae

*) Meth. cogn. simpl. p. 33. teste Hall. in Hist. stirp. Helv. n. 1256.

***) Lib. de Colchico. p. 8., 9.

vero farinaceum saporem adscribit. *Murray* *) in recenti radice initio Augusti evulsa, dum taleam resecat, odorem percepit nauseosum, qualem in recenti radice Peoniae, manifeste nares vellicantem, etsi non ad sternutationem usque, et linguae admota acrimoniae potius sensum, quam amaritiei ciebat; masticatione haec ipsa luculentior, nec parum ingrata. *Kratochvill****) nihil horum omnium sentiebat, sed nauseosam modo amaritiem.

§. 7.

In superficie taleolarum dissectarum effloruit quasi farina, quam gustatam non acrem, sed amarum modo deprehendit *Murray*, et album ex farina inmixta succum vidit. Succus expressus quieti traditus sensim clarius fiebat, et deposuit sedimentum copiosum, cuius pars inferior album amyllum ipsi referebat, superior vero viscida et flava erat. Amyllum illud rite lotum gelatinam praebebat fuscam, gelatinae instar ex granis Sagu ***) Infusum aquosum autem coloris lutei saporem creabat amarum et ad nauseam usque ingratum. Inspissatum praestabat extractum mucilaginosum coloris grisei, valde amarum †), infusum vero

*) *Apparat medic.* Vol. 5. §. 523., pag. 196.

**) *Dissert. de radice Colchici.* Francof. ad Moenum. 1764. p. 34.

***) *Berg. mat. med.* pag. 291.

†) *Kratochvill, Diss. de radice Colchici.* Francof. ad Moenum. 1764. p. 16.

spirituosum coloris aurei largiebatur extractum subacere atque amaricans.

§. 8.

Haec opinionum diversitas certo maxima ex parte ab anni tempore, quo radix colligebatur, dependet, cum et recentiores radicem Colchici, ineunte aestate collectam odoris ingrati, nauseosi, irritantis, nares faucesque ferientis, saporis acris, amari invenerint, quo vero utroque radix autumnalis et siccata pro maxima parte orbata et odoris potius subfarinosi deprehenditur. Hoc ipsum etiam in causa est, cur pro usu medico, si eadem stirps bulbum duplicem exhibeat, ut rejecto marcido recens solum retineatur, et radix ineunte aestate colligatur, moneant pharmacologi.

§. 9.

Conveniunt in hac re analyses chemicae, praecipue a *Pelletier* et *Caventou* institutae, qui in hac radice materiam propriam alcalinam, pulverulentam, impure albam, odore quidem privatam, sed magna acrimonia instructam et spiritus vini ope extrahendam invenerunt, quam *Veratrinam* dixerunt, cum illam primitus ex variis Veratri et Hellebori speciebus extractione obtinuissent. Constituunt praeterea radicem Colchici: acidum volatile, magna pars gummi, oleum, materia inulina, fibra, sebum et principium colorans flavum, quarum vero partium constitutarum rationem pro varia radicis evolutione et col-

lectionis tempore chemici quoque illi valde variare observaverunt, qua de causa pro usu medico radici semina Colchici anteponeuda esse inter alios praecipue *Williams* affirmat.

§. 10.

Semina Colchici matura, parva, rotunda, rugosa, colore fusco notata iisdem principiis efficacibus ac radice instruuntur, et iisdem gaudent characteribus chemicis sicuti et flores, quibus nonnulli maximam fidem habent.

Ratio pharmacodynamica generalis.

§. 11.

Diversos esse effectus, quos in organismum vivum pro vario collectionis tempore exerit Colchicum autumnale, diversae docent observationes, juxta quas modo veneni adinstar egerit, modo vero sat magna ipsius quantitas absque omnibus molestiis commedi potuerit.

§. 12.

Jam veteres Colchicum autumnale cœu venenum deleterium fugiebant, et illud per violentos effectus, quos exeruit, perterriti ex officinis rejectam oblivioni et dein superstitiosae narrationes contemptui tradiderunt; tandem inter plurima dissidia vis haud mediocris in morbis ambiguis explorata celebrabatur.

§. 13.

De suo Colchico comestam strangulando necare, edisseruit *Dioscorides*. Idem *Galenus* effatum. Ex Colchico in prato per lusum ingesto duos pueros misere periisse *Agricola Ammonius* enarrat. Necem attulerunt flores tres vel quatuor ancillae, quae illos ex populari errore contra febrem intermittentem sumpserat, postquam doloribus intestinorum aliisque malis cruciata fuisset *). Recenti radice a rustico incaute capta, inter insignes turbas in periculum vitae usque ille alvum egressit **). Ex seminibus duo infantes capsulis ludentes aegrotarunt vehementius, et vomitu enormi correpti sunt, quorum alter animam efflavit, alter quinquennis lento non nisi successu pristinam recuperare potuit sanitatem ***).

Stoerk †) in semet ipso exploravit ambiguum radicis colchici autumnalis vim. In eo granum unum succosae radicis, intra micam panis deglutitum, postea ardorem in ventriculo initio fixum, sede dein variabilem, creavit, subsequente in viis urinariis pruritu et mingendi conatu cum urina pauca, flammea, stranguiosa et tenesmo dolentissimo, cum tensione circa cordis scrobiculum magna, cephalalgia molesta et singultus conatu. Similes effectus ex vino colchici expertus est.

*) Garidel, plantes d'Aix. p. 123.

***) Ludovici Oper. p. 63.

****) Bresl. Samml. 1723. p. 679.

†) Lib. de Colchico. p. 11. Exper. 4.

§. 14.

Nec deerant, qui in Colchico amuletti adinstar suspensum egregium alexipharmacum quaesiverunt. *Wolfgang Wedelius* *) in morbis epidemicis multiplicis generis, peste, dysenteria, febribus malignis, exanthematicis etc. vel solum, vel cum plantagine in sacculo inclusum, circa collum praeservativi instar gerendum suavit. *Wilhelmi* **) superstitioni spurcitiem addens radicem in emplastro ano applicatam in peste laudat. *Hasenest* ***) radice collo adnexa, pectorique imposita se et alios a febre castrensi munivisse affirmat.

§. 15.

Brutis esse infestum, quin deleterium Colchici usum, et quoad omnes quidem plantae partes, plures observationes testantur. In pratis intacta relinquere solent folia. In Carniola bobus deleterium est, minus nocivum autumno, et siccatum omni culpa carere visum est. Primus effectus intumescencia inguinum apud illos sese exseruit †). Nec canes bulbi majorem copiam impune ferunt; secuti sunt illius usum vomitus frequens, artuum tremor, largum urinae profluvium, creberrimae alvi dejectiones, sanguine et frustulis membranaceis mixtae, convulsiones, misera mors. Ventriculus et intesti-

*) *Comm. de Colchico veneno ex alexipharmaco. Jen. 1718.*

**) *Mittel wid. d. Pest. Leipz. 1721.*

***) *Comm. Nor. 1736. p. 12., 107.*

†) *Hacquet in n. Samml. d. Gesellsch. d. Ackerbaues in Krain. P. 1. p. 1.*

na inflammata et gangraenosa reperta, et haec ita contracta erant, ut vix stylus penetrare posset *).

§. 16. .

Sed nec recentiorum in hac re desunt observationes. Bulbos animalibus ingestos vomitum et diarrhoeam atrocem, inflammationem ventriculi et intestinorum, excoriationes et mortem tandem inducere contendit cel. *Orfila* **). Exemplum infantis necati, cui flores Colchici autumnalis loco remedii purgantis injiciebantur, adducit *Vogt* ***). Alii eosdem effectus in infantibus ex usu seminum observaverunt.

§. 17.

Eo magis mirandum vero est, quod *Kratochvill* †) asseruerit, tam se, quam alios diversae aetatis et constitutionis homines diverso tempore a drachma ad unciam dimidiam, et alium integrum bulbum sine ullo detrimento commedisse, quod bulbos integros recentissimos in Carniola et agro Tergestino ingessisse fateatur *Krapf* ††), quin praeter ingratum amarorem aliud incommodum persentiret.

*) Stoerk de Colchico. p. 17. Cap. 17.

***) Allgem. Toxicologic. 3 Th.

***) Pharmacodynamic. B. 2. Abth. 2. §. 256g.

†) Diss. de rad. colch. autumn. Francof. 1764. 8. p. 35.

††) In Stoerk Contin. experim. p. 233.

§. 18.

Ex hisce omnibus nos concludere licet, Colchicum autumnale majori dosi ventriculo ingestum corpus humanum vi stimulante fortiori aggredi, in membranis inflammationem excitante, et acrimonia sua vitae animali non parum insidiari; cardialgiam, vomitum, alvum frequentem cum doloribus colicis et tenesmo, dysuriam, stranguriam provocare; imo incaute ingestum nauseam, vomitum cum sensu constrictionis et doloris urentis in faucibus, rigiditatem et insensibilitatem linguae, ventriculi et intestinorum inflammationem, diarrhoeam profusam, haemorrhagias intestini recti et uretrae, hematemesis, excoriationes intestinales, gangraenam, convulsiones et mortem inducere valere.

§. 19.

Dosi vero rite moderata contractionem ubique provocat, ac textum organorum cellulosum, membranas, vasa lymphatica, venas, organa secernentia ad mucii secretionem, resorptionem, urinae fluxum et transpirationem copiosiore incitat, chylicationem et sanguificationem retinendo, processum fluidisationis intendendo. Faciliorem itaque inducit alvi excretionem, mucum nimis viscidum attenuat, secretionem membranarum mucosarum serosam magis reddens. Secundum *Home* pulsus simul frequentiam imminuit; praecipue vero in vias urinarias agit, secretionem urinae sollicitando, quae virtus urinam pellens prae ceteris manifesta fit, ubi humorum serosorum in organo quodam effusio

adest, undē simul elucet, virtutem hanc in adaucta activitate vasorum resorbentium radicari, et ex eo etiam est, quod hac dosi exhibitum rarissime irritationem organorum urinalium manifestet.

Parva etiamsi dosi, longius tamen adhibita, digestionem facile turbat, assimilationem, sanguificationem, nutritionem retinet, vitam plasticam prosternit, metamorphosin regredientem accellerando, ut igitur ipsius effectus ad organa magis restringantur vitae vegetativae inservientia.

§. 20.

Vetant vero Colchici subministrationem:

1. Corpus sanguine turgidum, synocha, inflammatione visceris cujusdam adfectum, cum observatio doceat, difficilius ferre homines Colchicum, qui diathesi stenica notati, in orgasmum, congestionem proni sunt;
2. major corporis imbecillitas vitalis, debilitas directa, praecipue organorum digerentium;
3. magna ad vomitum et diarrhoeam dispositio;
4. nimia ventriculi et intestinorum sensilitas, cardialgia, colica, inflammatio harum partium; ad hematemesis inclinatio;
5. viarum urinalium sensilitas major vel ipsa inflammatio;
6. peculiaris tandem idiosyncrasia Colchici usui contraria.

§. 21.

Ex dictis simul elucet, magnam quoad agendi modum in organismum vivum adesse analogiam inter Colchicum et Scillam. Saepius etiam Scillae exinde substitutum fuit. Notabilem tamen differentiam inveniet, qui considerat:

- a) Colchicum digestionem et nutritionem minus inimicum esse, quam Scillam. *Home* tincturam Colchici per longius tempus sine molestiis propinavit;
- b) Colchicum facilius diarrhoeam, Scillam vero vomitum facilius inducere, unde illud ad purgantia magis, haec vero ad emetica accedit;
- c) Vim ipsius irritantem localem in membranarum superficiem multo fortiores esse illa, quam Scilla exserit;
- d) Irritationem vero universalem in systemate vasculari longe minorem inducere quam Scillam, quae de causa orgasmo, plethorae, congestionem, febrim, inflammationem minus inimica deprehenditur.
- e) Fortius quoque in transpirationem cutaneam agere, plures contendunt.

Ratio pharmacologica specialis.

§. 22.

Ex generali hoc agendi modo facile indicationes speciales erui possunt, in quibus Colchicum autumnale cum efficacia exhibetur.

In multis quidem morbis jam antiquitas illud laudabat, uti in peste, dysenteria, febre maligna etc., in quibus vero absque sana Pathologiae et Pharmacologiae ratione exhibebatur. Ex illo tempore, quo *Stoerk* ad apparatus medicamentorum illud iterum suscepit, variae de Colchico factae sunt observationes, nec parvus est morborum numerus, quorum nonnulli magnam Colchici autumnalis efficaciam testantur, alii vero valde dubiam relinquunt ipsius virtutem medicatricem.

§. 23.

Laudatur prae ceteris in hydrope, arthritide et rheumate chronico.

1. In *hydrope* et quidem in variis ipsius speciebus: anasarca, ascite, hydrothorace etc. In illa praecipue hydropis specie Colchicum exhibebant veteres medici, quae febrem intermittentem, scarlatinam et alios morbos excipiebat, simulque torpiditatis signa praeserebat. Unica voce declaravit jam *Linneus* *), se notitiam Colchici virtutis in hoc morbo habuisse. Non vero in simplici tantum hydrope, vel mitiori, sed complicato quoque et graviori oxymel Colchici profert. Opem tulit in ascite, hydrope anasarca juncta **), adfuit subinde difficillima simul et stertorosa respiratio cum tussi; in quodam icterus una adflixit; in quibusdam ex suppressa febre intermittente hydrops enatus

*) *Amoen. acad.* Vol. 5. pag. 159.

***) *De Colchico Cas.* 1. 4. 5. 7. 8. *Cont. exper. Cas.* 5.

erat, in alio scarlatina neglecta in causa fuit, et varia alia incassum ante tentata fuere. Foemina ab ingenti oedemate capitis ad interna capitis prorepente eo liberabatur *). Eandem efficaciam multi alii experti sunt medici, ut: *Pestini* **), *Krapf*, *Plenk* **), *Collin* †), *Marges* ††), *Planchon*, *Junker* †††). Sic in variis nosocomiis, ut *Turicinensi* 1), ex *Argoratensi* 2) exoptatum praestitit effectum. Multi, qui Scillam absque nausea et vomitu non ferrebant, impune et in salutem suam assumebant Colchicum 3). Sic *Oberteuffer* bonas effectus ex remedio hoc in illis etiam casibus vidit, in quibus Scilla incassum adhibita fuerit.

Quorundam medicorum querelae de inertia et inefficacia hujus radice in hydropo multum certe ab ipsius inconstantia et a diverso, ut supra monuimus, collectionis tempore dependet; nec absque jure dicit *Murray* 4): *non mirum esse, multos hydropicos inde non sanari; miraculum contra esset, et naturae

*) Cort. exper. Cas. 3. 4. 9. 1. 8. 10.

***) Stoerk Cont. exp. p. 160.

****) Mat. chir. p. 345.

†) Obs. circa morb. acut. et chron. P. 2. cap. 1.

††) Journ. de méd. tom. 23. p. 20. sqq.

†††) Diss. de aquar. hydrop. evacuatione prudenti. Hal. 1768.

1) Jac. Schinz Vers. libri Stoerk. Abh. v. d. Lichtblume. 1764. Praef. p. 22.

2) Ehrmann, Diss. de Colchico. §. 15.

3) Stoll, de morbis chron. p. 69.

4) Appar. med. Vol. 5. §. 523. p. 209.

legibus adversum, si omnes sanarentur. Sufficit multis auxilio fuisse.*

Nonnunquam insensibili modo, plerumque vero manifeste adaucta urinae et transpirationis cutaneae se- et excretionis, et optime quidem individuis phlegmaticis, laxis, torpidis, minus vero individuis constitutionis strictae et rigidae conducebat.

§. 24.

2. *In arthritide.* Jam veteres medici illius usum in hoc morbo fecisse videntur, cum secundum *Pitschaft* *), quo utebantur *Hermodactylus verus* Colchicum aegypticum, probabiliter, quod in nostris regionibus occurrit, aut saltem ipsius species fuerit. Arcanum istud *D. Husonii*, sub nomine: *Eau médicale de Husson*, in Gallia et Anglia bene notum, et cujus virtutes in arthritide a multis decantata fuit, secundum *Home* tincturam Colchici sistit, et quidem florum, ut videtur **); secundum alios vero ex Helleboro, *Gratiola* et *Colchico* constat, cujus vero compositionem adhuc incognitam esse affirmat *Scudamore. Home* ***) ex tinctura Colchici in arthritide, periodice recurrente tam optatos vidit effectus, ut ipsi vires remedii specifici in hoc morbo tribuat, quacum opinione *Ware*, *Williams* in Anglia, *Montagne* in Gallia, *Cron-*

*) Hufeland's Journ. Bd. 57. St. 5. S. 99.

***) Copeland in Lond. med. Repository. Dec. 1820.

****) Buchner. Repert. 1815. Hest. 1. S. 105.

spruch *) et *Plassé* in Germania et multi alii consentiunt; imo *Johnson* **) affirmat, tincturam Colchici non solum tam cito dolores arthriticas lenire ac arcana illud, sed et ex eo antecellere, quod non tam facile digestionem turbet, et affectiones in systemate nervoso provocet, quibus malis praecipue individua constitutionis tenerae, temperamenti sensilis facile tentantur, seriusque optatam recuperant salutem. Optimi vero effectus in individuis sat robustis adhuc observantur. *Battley* ***) sub insultu podagrico guttas viginti vini Colchici exhibuit, et exinde post horam unam et dimidiam ab initio levem nauseam, dein somnum tranquillum et omnium symptomatum molestorum remissionem sequi vidit, quae dosis post octo horas iterum repetebatur, quin per duas menses insultus rediret.

Sed nec experientia deest, Colchicum in arthritide exhibitum nefastos produxisse effectus, et insultum podagricum usu remedii: eau médicale de *Husson*, per duos dies continuato suppressum, insultum epilepticum in apoplexiam lethalem transgressam excepisse †).

Ex quibus omnibus concludere licet, Colchicum autumnale in arthritide praecipue chronica curanda non parvam exserere efficaciam, in acuta vero, regulari, critica facile plus damni, quam boni inducere posse.

*) *Arzneymittellehre*. 3. Aufl. S. 206.

**) *Prakt. Unters. über d. Natur, Behandl. u. Vorbauung der Gicht*. Aus dem Engl. von Bloch. Halberstadt 1820.

***) *Lond. med. Repository*. July 1820.

†) *Mufeland* in dessen *Journ*. Bd. 55. St. 2. S. 108.

§. 25.

3. *In affectionibus rheumaticis* eosdem effectus ex Colchico ac in arthritide multi observaverunt; et primus quidem erat *Williams* *), post illum *Plasse*, *Deetz*, *Forst*, *Buschel* et alii. Agit secundum eorum effatum praecipue qua sopiens, et in affectionibus quoque rheumaticis dolorificis et rebellibus sive chronicis sive acutis optatos exseruit effectus, uti in ischiate nervosa *Cotunii*, prosopalgia etc. *Locher—Balber* **) Colchicum in iritide rheumatica laudat. *Williams* praecipue salutarem invenit illius usum in rheumatismis chronicis, cum in triginta quinque aegris dolores evanescerent, tranquillus somnus, optataque in membris rediret facultas motrix. Tam leni simul modo agebat remedium, ut aegri nullas exinde molestias perciperent, et solummodo alvus laxior bis insequeretur.

Nec in affectionibus arthriticis et rheumaticis syphilitide complicatis et in doloribus osteocopis inde ortis inefficax invenit Colchicum, dummodo non ab exostosis dependere. Sed in his casibus mercurius larga manu prius exhibitus fuit, ut igitur molestiae hae a largiori potius hydrargyri applicatione dependere.

§. 26.

Dantur vero plures adhuc morbi, in quibus virtus Colchici implorata quidem et observata est, quin

*) Lond. med. Repository. Aug. 1820. u. Jan. 1821. — Hufeland's Journ. Bd. 55. St. 2. S. 108. — Gerson u. Julius Magazin. Bd. 1. S. 162. Bd. 2. S. 159.

**) Hackler, litter. Annalen d. ges. Heilk. Bd. 1. S. 257.

tamen certe constet, in quantum ipsi fidendum sit, ut in plurimis potius sat ambigua maneat. Sic :

4. *Herden* *) in qualibet inflammationis, tum acutae, tum chronicae specie usum Colchici admittit. *Carminati* **) praecipue oxymel Colchici a scrupulo uno ad quatuor omni trihorio in affectionibus inflammatoriis, praecipue in peripneumoniis cum exsudatione serosa, hydrope inflammatorio cum effectu adhibuisse affirmat. *Hastings* ***) et *Armstrong* †) laudant tincturam in bronchitide chronica cum cremore tartari junctam.

§. 27.

5. In doloribus fluxum menstruum praecedentibus et molestiis ex menstruorum anomalia provenientius laudatur a *Williams*.

6. In haemorrhoidibus vesicae urinariae levioris gradus, cum complicatione rheumatica, et parva dosi cum mucilaginosi in stranguria bonos effectus vidit *Plasse* ††) ex tinctura Colchici.

7. In ictero *Stoerk* adhibuit Colchicum.

8. In astmate oxymelis Colchici praestantiam agno-

*) Practical observations on the Colchicum autumnale. London 1820.

**) Memorie dell' Instituto del regno Lombardo-Veneto. 1. 1819.

***) On the inflammations of the mucous membranes of the Lungs. Lond. 1821.

†) Pathology of consumption diseases. Lond. 1822.

††) Allgem. medic. Annalen. 1822. S. 271.

vit *Murray* *), sive causa in muco abundantius collecto latuerit, sive obstructionibus compagem pulmonum obsidentibus debeatur. Pulvis radice Colchici jam ante illum pretium singulare obtinuit cuspidatim datus ob efficaciam et effectum velocem, ut nomen pulveris *antastmatici* sibi meruerit. Virtutem ipsi tribuebant tenaces et compactos humores solvendi, et screatum promovendo pulmones egregie liberandi. Nec recentiorum quidam desunt, qui illud in astmate pituitoso, catarrho pulmonum chronico, blennorrhoea pulmonum laudarent.

9. *Raven* **) nevroses plures, uti choream S. Viti, singultum spasticum, hysteriam, hypochondriam partim tinctura, partim vino Colchici aut sanasse, aut saltem mitigasse affirmat.

10. *Chisholm* ***) ope vini Colchici taeniam expulisse credit; cui opinioni et *Baumbach* †) adnuit, qui, postquam oleum terebinthinae et crotonis frustra adhibuisset, guttas 50 — 35 de hoc vino ter de die praescripsit, quibus sumptis secunda die vomitus et diarrhoea molestabant, quinta vero ipsa taenia secessit, quin pulla ipsius vestigia remanerent.

11. Nec desunt, qui Colchicum insectis quoque inimicum credunt, dum radicem lacte coctam pediculos

*) Appar. medic. Vol. 5. §. 523. S. 212.

**) The London med. and. physical Journal. 1817.

***) Gerson u. Julius Magazin. März, April. 1824. S. 370

†) Rust. Magazin. Bd. 20. S. 270.

inguinales necare dicunt *); usui praeterea externo radix et flores ad destruendas verrucas **) inserviunt.

Forma et dosis.

§. 28.

Etsi omnes fere plantae partes virtutem medicatricem eandem includant, et vix memorabilis inter radicem, flores et semina obtineat differentia, diversus tamen erat et adhuc observatur applicationis modus.

§. 29.

1. Tum ante reliquas Colchici partes, tum frequentissime simul adhibebatur *radix* et quidem:

a. *Pulvis* radicis siccatae aut tostae **), quem a grano 1 — 4 — 6 bis vel ter de die exhibebant. Ob mutationem vero, quam radix siccando subit, et qua maximam efficaciae partem juxta observationes amittit, rarius sub hac forma nunc exhibetur Colchicum.

b. Hinc inde parabatur etiam *Extractum* ex succo radicis recenter expresso cinereo-fuscum, odoris ejusdem ac radix, cum aqua solutionem turbidam ingrediens, quod vero ob corruptionem,

*) Schinz Praes. vers. libri Stoerk. de Colch. p. 24.

**) Ehrmann Diss. de Colch. aut. Basil. 1774.

***) Ibid.

cui brevi subicitur, medicorum votis non satisfacit, hinc merito oblivioni traditum est.

- c. Praeparatum majoris dignitatis sistit *acetum Colchici*, quod oblinetur, dum bulborum in orbiculos dissectorum unciae duae in aceti libra una per triduum sub frequentiori agitatione macerantur, liquidum vero colatum, residuo bene expresso, servatur. Liquidum sistit flavum odoris acetici, saporis amaro-acris. Praeferenda vero est extractio ope acidi acetici ex eo, quod, si ope aceti debilioris fit, acetum Colchici mox corrumpatur. Praescribitur ad guttas viginti pro dosi singula.
- d. Ut acetum mitesceret magis, addidit *Stoerkius* librae unae ipsius, mellis puri libras duas, quam miscelam in mellis spissitudinem leni igne iterum coxit, et *oxymelis Colchici* nomine nuncupavit. Hoc leniter modo linguam stimulare et adstringere, mucumque, quo obducitur, egregie abstergere, ad parvum vero cochleare captum urinam movere edisseruit *). Nunc in plerosque libros pharmacologicos transiit, eodem modo parandum, et ad unciam semis vel unam praescribendum, cui vero Angli **).
- e. *Syrupum Colchici* substituerunt, ex aceto cum saccharo obtinendum.

*) Stoerk, de Colchico p. 26 sq.

***) Pharm. Ed. 1783. p. 193.

f. Optima vero et usitatissima forma est illa *tincturae* quam Angliae medici ex unc. 4 bulborum recentium ad unc. 6 spir. vini parant, de qua drachmas duas quotidie praescribunt. *Home* monet, liquidum tantum limpidum super sedimentum versans arthritidem sine molestiis curare dolores sopiendo, transpirationem cutaneam augendo, et modicum alvi fluxum provocando, tum sedimentum exhibitum dolores colicos et immodicum alvi fluxum producat. Apud nos tincturam ex bulborum recentium unciis duabus, in spiritus vini libra una per octiduum digerendis, extrahunt.

g. Non minus displicet *vinum Colchici* quod ex bulborum recentium unciis duabus cum libra vini parant, alii vero ex unciis 12 bulb. rec. et unc. 16—18 vini hispanici cum pauxillo spiritus vini mixti obtinent, et pro dosi quotidiana a drachma 1 ad scrupulos 4 praescribunt. *Vinum Colchici Pharm. Lond.* ex libra una bulborum recentium, libris quatuor spiritus vini et unciis octo aquae destillatae paratur, per quatuordecim dies macerationi relictis, deinde collatis, quod vero secundum *Brande* *) facile fermentationem subit, et decomponitur.

*) Handb. d. Mat. med. ec. S. 306.

§. 30.

2. Plures, praecipue vero *Williams*, radici *semina* matura ex eo praeferebant, quod radix diverso tempore collecta non semper ejusdem virtutis remedium offert, et fors etiam, quod seminum praeparata minorem acrium partium copiam contineant, hinc nunquam effectus molestos in ventriculo et intestinis, quos radicis praeparata facile inducere solent, exserant.

Praescribunt semina vel forma *tinctorae*, vel *vini*, quorum efficaciam experientia saepius confirmavit, atque eodem modo parant ac illa radicis. *Colley* *) *tincturam*, ad guttas 20—30 pro dosi singula saepius de die exhibendam, in arthritide et rheumate chronico maxime accommodatam invenit. Laudant quoque nonnulli *spiritum seminum Colchici aromaticum* ex seminibus cum spiritu ammonii aromatico Ph. Lond. paratum, quem sicuti vinum adultis ad drachmam unam ad summum tres in aquae uncia semis semel vel bis de die, exhibent.

§. 31.

3. Alii demum praediligunt flores tum recentes, tum siccatas eodem modo ac semina et radix exhibendas. *Bushell* **) ex uncia una florum siccatorum cum unciis octo spiritus vini diluti per septem dies

*) Archiv. für mediz. Erfahrung. v. Horn. etc. 1824. Jän. u. Febr. S. 120.

**) Aus Lond. med. Rep. in Hacker's lit. Annal. Bd. 4. S. 261.

macerata et dein colata tincturum parare jussit, cujus virtutem sopientem et secretiones promoventem praecipue in rheumate quam maxime laudat.

In genere de floribus et feminibus siccatis minor sumitur quantitas ad praeparata ista formanda, quam de recentibus.

§. 32.

Antitoda:

Turbae ex ingesto vitiose Colchico modo non multum temporis intercesserit, vomitoriis, praecipue Ipecacuanha optime tolluntur; mora vero facta albumini animali, aut largo remediorum mucosorum, lacti copiose hausto, clysmatibus emollientibus et mucilaginosi etc. magna vis inest. *Stoerkius* acidis multum fidebat.

Theses defendendae.

I.

Anatome pathologica, ut faustas faciat progressus, a medicis practicis tractetur oportet.

II.

Respiratio est digestio inversa.

III.

Functio placentae cum illa pulmonum adultorum admodum convenit.

IV.

Antiphlogistica tonica non dantur.

V.

Scrophula est plethora lymphatica.

VI.

Crusta lactea saepe symptoma scrophulae.

VII.

Bona diagnosis aegro, prognosis medico conducit.

VIII.

Vena portarum vera malorum porta.

IX.

Maxima emeticorum in morbis contagiosis virtus.

X.

Applicatio hirudinum in affectionibus rheumaticis plerumque plus nocet, quam juvat.

XI.

Venaesectionem unam intermissam plus nocere quam unam superfluam, sententia damnanda.

XII.

In medicina forensi veneficiorum divisio in veneficia ex necessitate et per accidens lethalia absque utilitate.

XIII.

Inter amauroses maximam salutis spem illa praebet, quae ex abnormitate systematis vasorum orta.

XIV.

Medicina nihil, medicus multum lucraretur, si munere publico fungeretur.
